PARAPHRASIS ALIQVOT PSALMORVM DAVIDIS, CARMINE HEROICO.

SCIPIO GENTILI

Italo Auctore.



LONDINI,

Excudebat Thomas Vautrollerius Typographus.

1581.

Dono datus a Doctore Gentili



ILLVSTRI, MAGNA-NIMO, AC OMNI VIRTVTVM genere clarißimo Domino D. PHILIPPO SIDENEO, domino suo longè obser-uandißimo. S. D.

Scipius Gentilis.




VÒD ego te litteris compellare ausus sum (SIDENEE nobilissime) tibiq́; hūc tenuem laborem meum offerre, puerilem fortasse dicas, & immaturum, plurimæ, eæque magnæ rationes fecerunt. Nam (vt aliquas tantùm, & præcipuas modò referam) ille antiquus familiæ tuæ splendor, qui cùm ipse excelso in loco, atque ædito positus sit, omnium oculos in se concitat, omnes in admirationem sui ducit, me in primis ad hoc genus officij tibi præstandum hortari est visus. Deindè insignis illa

humanitas, & propensus in nostram nationem animus, in quo næ tu optimum, & Illustrissimum parentem tuum HENRICVM penitùs exprimis, non illexit me modò, verum etiam inuitauit. Innumerabiles deniquè animi tui, corporísque dotes, quarum te fama notissimum reddit, & celeberrimum, hæ verò me (vt ingenuè dicam) perpulerunt. Audio te iuuenem summis scientijs apprimè ornatum, excultúmque artibus liberalibus, nobilíque viro dignis. Audio robur, vimq; corporis in te maximam esse, quam in equitando, in torquendis hastis, & iaculandis, in vibrando gladio, in currendo sæpè & ostentas, & imitandam proponis viris. Accedit ferè ad hæc ornamentum illud non paruum adolescentiæ tuæ, plurimarum (inquam) orarum, populorúmque cognitio, quùm & in Germania pro Serenissima Regina ad Cæsarem legati munus amplissimum obiueris, & totam ferè Italiam, atquè Galliam perlustraueris, & in præcipuis ipsarum ciuitatibus diù, splendidissiméque profectò vixeris. Vnde & varias

tibi

tibi linguas veluti insignia quædam absentiæ tuæ monimenta retulisti in patriam, inter quas nostram Italicam ità tenes & loqueris, vt nō esse in Anglia, sed in ipso Hetruriæ solo natus, educatúsq; videare. Quæ cùm ità sint, tibi gratulari valdè duxi oportere. Hoc autē vt hisce primitijs meis primò facerem, nō abnuit, immò & pluribus verbis confirmauit vir magnificus D. Io. Baptista Castilioneus, quē ego propter suum ergà nos amorem tāquam alterum parentem colo & obseruo. De istis autem versibus meis, qualescunque ij sint, ità te existimare conuenit, mihi duos præstantissimos huius sæculi poëtas, qui orbi nunquàm ignoti propter ingenium viuent, imitandos, atque exprimendos fuisse propositos pœnè puero. Quùm enim superiori anno, qui decimus septimus mihi agebatur, Tubingæ in celeberrima totius Germaniæ Academia studiorum causa commorarer meorū, in id primum certaminis ingressus sum, perrexissémque vlterius, nisi me ingens religionis in familiam nostram effusa calamitas ex illo loco,

tanquàm ex aliqua ſede quietis, otijq́ue deie-ctum variè diſtraxiſſet. Verum ſi tuò iudicio (quod licèt in omnibus acerrimum videatur, in poëſi tamem, quùm ipſa plurimùm dele-cteris, multò eſt acrius) aliquid in his ego profeciſſe videar, efficiam planè, vt & orna-tius aliquandò, & cumulatius hoc ipſum opus in tui gratiam enitar fieri, & Angliæ, in quam nos veluti in arcem pietatis, & religionis prę-ſtantiſſimam, atque tutiſſimam fugimus exu-les, hanc etiam ingenij mei partem acce-ptam referre tui, bonorúmque om-nium cauſa debeam. Vale. Lon-dini. Vigeſima tertia die Iunij. 1581.





ODE

AD ALBERICVM, ET SCIPIVM FILIOS.

Vrbem cum socijs ibimus Anglicis
Londinum? mihi nunc dicite filij.
In magno Oceano tantam aueo insulam
Statim perspicere, & frui.
Namq; intelligo, tot gignere fertilem
Tellurem bona, quòd Tullius assequi
Non quiret calamo, non alius rethor.
Fœlix, cùm institerim Anglia.
Mercator quoquè ditissimus est ibi,
Qui terram, mare, perlustrat & omnia,
Quæ sub syderibus subdita permanent:
Cælum sed meliora dat.
Nám præclara hominum corpora, mentéque
Tali prædita, quòd viribus, artibus,
Musis, regna, viros, vincit: & insula
Donum præstitit huic Deus
Maius, Relligionem. nihil ampliùs?
Gaudete. ille dedit numen & alterum,
Cuius facta regit, cordis & intimum.
Quod nam numen? ELIZABETH.

ANTVERPIÆ.




SCIPII GENTILIS PARAPHRASIS.

PSALMVS PRIMVS.

Beatus vir qui non iuit in concilia &c.

ILLE hominum fælix, qui non adit impia vitæ
Agmina concilijs prudens: nec longa moratus
Tempora, linquit iter scelerũ: nõ denique turpi
Sede, simul vanis comes illusoribus astat:
Verùm qui Domini Legem, noctésque, diésque
Cogitat, & dulci solatur imagine mentem.
Ac veluti ripis surgens florentibus arbor,
Opportuna refert, iamdudùm & debita poma
Agricolæ, & folijs æternum seruat honorem:
Is manibus quæcunque suis aget, omnia fælix
Optato semper concludi fine videbit.
Non ità, quæ magnum ausa Dei contemnere verbum,
Turba nocens, sed pulueri ruet agminis instar,
Quod ventus nunc spargere humi, nunc tollere in altum
Crebrior, aut celeri gaudet deflectere gyro.
Hæc quoque supremi non iudicis ora tueri
(Quum sedeat, meritisque reposcat crimina pœnis)
Audebit, nec erit sancti pars vlla senatus.
Nam Deus ipse pedes iustorum nouit euntes:
At scelerum graui iter collapsum mole peribit.



PSALMVS SECVNDVS.

Quare fremuerunt gentes, & populi &c.

QVIS furor, ô gentes, trepidos miſcere tumultus
Vos agit? & cæco populi quid inania ſæui
Corde premunt? magniquè adeunt in fœdera Reges
Terrarum, contrà Dominum, contraquè potenti
Sacratum illius dextra? ſic ore locuti.
Horum eia ingenti rumpamus vincula motu:
Seruitij procul à nobis iuga proijciamus.
At cælo ex alto terras, hominumq; furores
Deſpiciens, riſu placido pulchra ora mouebit,
Cunctarum ille potens rerum: tunc deniquè verſus
Terrarum ad Dominos nimiùm verba aſpera dicet
Iratus, meritóſque furens turbabit. At ipſe
Ipſe mihi regem ſtatui: ſancto ille, meoque
Monte ſuper, ſolymæ imperium ſacer vrbis habebit.
Hæc memorem, patriſque feram decreta ſub auras
Ingentis, paritérque mihi talí ore loquentis.
Tu natus meus es, hodierna luce beatum
Quem genui, fouiq; parens. Nunc me omnia certus
Poſce: tibique omnes verſo ſimul ordine gentes
Ipſe dabo, ſimul immenſi ſpatia ardua mundi.
Tu placidos in pace regas, & mente rebelles
Confringas ſceptri valido molimine ferrei.
Vt vaſa aduerſo franguntur terrea muro.
Vos igitur monitis Reges melioribus acti

O tan-

O tandem ſapite, & ſolio qui dicitis alto
Iura viris, vera hac animis ediſcite veſtris.
Cedat honos, & cuncta Deo reuerentia cedat.
Lætitiáque ſimul pleni, mixtóque tremore
Immenſum celebrate patrem: ſuáque oſcula nato
Ferte ſuo, ne quando animis commotus, & ira
Sæuierit, ſpretáque ſemel vos hauſerit ira.
Fælices, quorum Domino ſpes credita fido eſt.



PSALMVS OCTAVVS.

Domine quàm admirabile eſt nomen &c.

O *Rex, ô hominum cuſtos, quàm nominis huius*
Admiranda tui terras conceſſit in omnes
Maieſtas, decorémque tuum ſuper æthera miſit?
En etiam ingenti ſumptas de robore laudes
Concelebrant pueri, & pueris tibi mollior ætas
Infantum: trepidos contrà furor impius hoſtes
Sancta loqui, tacitóque vetat conſpergere viru.
Aſt ego, quum media cælos in nocte patentes
(Clarum opus, & manuum monimentum inſigne tuarum)
Intentis perluſtro oculis, alioque nitentem
Lunam auro, & cunctis accenſos partibus ignes:
Sic meditor, ſic admirans mecum ipſe reuoluo.
Ecquid homo eſt, quòd, tu ſummi regnator olimpi,
Illius memor eſſe velis? illius adire
Iam ſobolem? atque imis aduertere lumina terris?

Hunc æquum superis animo, imperióque creasti
Pæne Deis, hunc & decoris fulgente corona
Ornasti, rerúmque in curam, operúmque tuorum
Accisti ingentem, & pedibus subiecta dedisti,
Quæ natura parens totum diffundit in orbem.
Illi quæ virides in apricis collibus herbas
Pascit ouis, qui syluarum per operta vagatur
Bos, & odoriferis paret latum agmen in aruis:
Et cæli parent volucres, quique humida pisces
Regna colunt, tremula vertentes æquora cauda.
O Rex, ô hominum custos, vt nominis huius
Maiestas iuit terras miranda per omnes?



PSAL. DECIMVS QVINTVS.

Domine quis habitabit in tabernac. &c.

AVrea quis, magne ô superûm Rex, templa Sionis
Incolet? & sancti tecum super ardua montis
Ascendet, fœlix æterna in sede futurus?
Scilicet, irradians niueo quem vestit amictu
Simplicitas: cui vita manet iustique, piique
Conscia: qui veris animum sermonibus implet:
Nec famam violat, noménque absentis honestum
Callidus: & nulli sociorum ex agmine quicquam
Obfuit, aut lædi caros tulit ore propinquos:
Qui fastu elatos homines securus inani
Contemnit, placidísque pios, dominúmque timentes

Prose-

Prosequitur venerans oculis: linguaq́, manúsque
Ignarus temerare fidem, non fœnore egenos
Affecit, multóque insontem prodidit auro.
Hæc igitur qui cuncta peregerit, ille quiete
Perpetua, sanctóque sedens in monte fruetur.



PSAL. DECIMVSNONVS.

Cœli enarrãt glori aim Domini,& manuum &c.

COElorum spatia, & firmis connexa catenis
AEtheris ora solo, fundunt tibi, maxime, laudes
O Deus, & manuum referunt opera alta tuarum.
Sic lucem insequitur lux, & monet ordinis huius
Te canere authorem, sic vmbræ cedit habenas
Vmbra, tuúmque simul celebrat decus. Impia terris
Nulla adeò gens est, moréstque induta ferarum,
Atque sonos, cuius vacuas concentus ad aures
Non motus cœlestis eat. Sonus iuit in orbem
Immensum, geminos (credo) terræ impulit axes.
Quin etiam celso nitidum sub vertice solem
Fixeris, auratásque domos: ceu sponsus, at ille
Ora decora gerit, thalamo qui prodijt aureo:
Ac veluti immensusq́, Gigas, fortisue, celérue
Diripuit cursu campos metatus apertos:
Sic sol Eoo primùm de littore magnum
Orsus iter, tantas cœli peragrauerit oras,
Donec ad optatas (vbi mergitur Hesperus) vndas

Exijt, & populos radijs accendit, & vrbes.
Hæc tua sunt. Puro illa tuo quoque venit ab ore
Lex sacra, maius opus terris. Cum mentibus altum
Hæc fœdus pietatis inijt, hæc nuncia rerum
Fida Dei, hæc sophiæ pueros ditauit honore:
Hæc rectum monstrauit iter, dúxque aurea quondam
Lætitiæ, fax alta Dei, fax lucis egentes
Irradians: timor inde pius, quem sæcula sæclis
Omnibus annectent, Dominique ingentia manant
Iudicia, & recti partes æquata per omnes.
Queis cedit fuluum pretio aurum, cedit & ipsa
Gemma nitens, dulcique refertæ nectare cellæ,
Melláque. Ego his monitus seruus tuus, illa parabam
Iussa sequi, nec eram ignarus, quam magna sequutis
Præmia restituas. Sed quis sua crimina nouit?
O Deus, ô, & gnare mei, tu quicquid in imo
Ignotum serpit sceleris corde, ablue, quæso.
Tu me sublimi seruum tibi repprime fastu,
Ne tanta de mole cadam periturus: at ista
Ingenti, & culpa videar tibi lotus ab omni.
Tu quoque purus ama puros, mea carmina, fontes
Eloquij, tua, quod secum mens grata rependit,
O clemens Pater, ô vindex meus, antefer ora.




PSAL. VIGESIMVS QVARTVS.

Domini est terra, & plenitudo eius, orbis &c.

IPSA

IPSA suo tellus Domino permisit habenas
Cunctarum rerum, quas magno continet orbe,
Et, quæ tam varias orbis gens incolit oras,
Imperijs stat prompta Dei; namque is vaga ponti
Stagna super valido terras firmauerat axe,
Et fluuios geminæ constrinxerat aggere ripæ.
Hic tantùm tibi parua domus, tibi colle sionis
Surgit apex, Deus. ô illo quem vertice sancto
Accipies pater alme? tuáue intrà Limina duces?
Cui manus haud vllo violata est crimine, cui mens
Recta sedet, vanas animo qui depulit vmbras:
Qui fraudisq́, doliq́, expers, non improba cuiquam
Damna dedit, nocuitue suo periurus amico.
Ille est, ille Deo gratus, pro talibus ingens
En referat mercedis opus, simul ecce superbos
Cernat humi stratos telis immanibus hostes.
Hæc est chara Deo soboles, quæ tendere in astra,
Atque Dei, atque Patrum vultus exoptat adire.
Tollite vos portæ, semper quibus æthra tueri
Cura est, iam sublime caput, iam impellite postes
Ingentes, magnásque fores, ac limina magno
Pandite, cui seruit rerum nunc gloria, Regi.
Cui rerum seruit nunc gloria? quis venit hic Rex
Tantus, in æthereas regnum qui transferat oras?
Imperij Dominus terrarum maximus ille est
Dux fortis, turmásque inter bellator ouantes.
Tollite vos portæ semper quibus æthra tueri
Cura est, iam sublime caput, iam impellite postes
Ingentes, magnóque fores præpandite Regi.
Quisnam, agite, æthereis tantus rex aduenit oris?

Armipotens Dominus, magni dux agminis ille
Est Rex, cunctarum paret cui gloria rerum.



PSAL. TRIGESIMVS SECVNDVS.

Beatus vir, cui remissæ sunt iniquitates &c.

FOElix cui clemens hominum Pater omne remisit
Crimen, & oblitus scelerum non vlla reseruat
Supplicia, exitijq́; faces; illius in alto
Pectore quum cernat nullos dominarier astus.
Sic ego seu dira pressus sub mole tacerem,
Seu quondam ruptis clamarem vocis habenis
Impatiens, vrique videns sic igne medullas,
(Vt medio in pratis decisus flos perit æstu)
Experiensque manus noctesque, diesque, potentes
Nullam comperi opem. Cùm me in contraria verti,
Atque meos prodi lapsus, scelera omnia prodi.
En adsum, en Domino vitæ tot crimina fabor.
Vix effatus eram, quum cælo exaudijt alto
Rex superum, veniámque mihi, mihi detulit vltrò.
Ergò, qui sancti colitis sacraria cordis,
Atque malis optatis opem, dùm tempora fandi
Mollia sunt, facilésque aditus, hunc flectite votis.
Hic, superiniectis quum non extabit in vndis
Tellus, vos rapidis seruabit ab æquoris vndis.
O arx, ô sæui custodia libera fluctus,
Materiésque meis ingens inuenta camœnis.

Mentem

Mentem ego laudanti tribuam, rectásque monebo
Ire vias, inquis, nec lumina gressibus vnquàm
Ipsius (quocunque ferent vestigia) flectam.
Tu verò huc incumbe volens: neu more ferarum
Infractos contende animos, ut qualis aperto
Campo liber equus, mulúsque simillimus ipsi,
Aspera qui tandem victi dant ora lupatis.
Sera illum vindicta manet, qui nescius alto
A scelere in meliùs vitæ conuertere cursus:
Ast illum, qui cuncta Deo creditque, locátque,
Ipsa Dei nitido Clementia cinget amictu.
Vos igitur, queis pura sedet sub mente voluntas,
Iustitiæq́ timor, patri diuûmque, hominúmque
Exultate, nouásque merenti dicite laudes.



PSAL. TRIGESIMVSSEXTVS.

Dicit iniquitas impij in medio cordis &c.

NE tua facta pio studeas obtendere velo
Impietas, nostro semper notissima cordi,
Et tales dare visa sonos. Ego numina demens
Vlla rear? quæ res hominum, quæ crimina curent.
Scilicet ipsa sibi tacitis blanditur ocellis.
Donec ab obscuris tandem disclusa tenebris
Inuisos turpi retegat sub imagine vultus.
At sua nunc diris sermonibus imbuit ora
Ora parata dolis, rectúmque monentibus aures

Auertit, sceleriúmque vias super ipsa cubili
Cogitat insomnis; quando virtutis honestum
Liquit iter, quando vitijs non durior iuit.
Et tamen illa, parens, bonitas, qua protegis orbem
Immeritum, longè celsis caput inserit astris,
Et tua certa fides super ardua nubila tendit.
Quin etiam vastos superat ceu vertice montes
Iustitia, atque hominum, & pecudum sapientia custos
Vorticibus pelagi, terrâq; profundior ima est.
Quàm pulcher bonitatis honos? quàm pulchra parentis
AEtherei sunt signa? Deus, quòd more volucris
Alarum molli teneros complecteris vmbra
Ipse hominum natos, sed quos tua pignora cœlo
Constitues: vbi se largo bona copia cornu
Explicat, & vitrei manant dulcedine riui.
Namque illis vitæ fons, principiúmque perennis
Visus eris, puróque tui de lumine vultus
Optatam capient diuini luminis auram.
Intereà, queis notus amor tuus, vnaque recti
Cura manet, niueusque imo sub pectore candor,
Sis bonus, & merita tribuas sua præmia vitæ.
Me quoque nec tumidus sæuo pede comprimat hostis,
Nec pulset grauiore manu. Iam iam impia (cerno)
Corruit, & lapsu ingentem dat turba ruinam.



PSAL. VIGESIMVS OCTAVVS.

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; &c.

O Deus,

O Deus, ô summi clemens dominator olimpi,
Ne miser ipse tuo scelerum tunc arguar ore,
Vel iustas referam pœnas ; tua pectora quando
Ira, furórque simul laxis impellet habenis.
Nam quæ tela remisso (hunc tu prætendis) ab arcu
Certa volant, imis hærent infixa medullis:
Et tua vulneribus semper sedet aspera dextra.
Omnibus ecce cruor manat de partibus icti
Corporis, accensas Domino torquente sagittas.
Nulla quies fractis redit ossibus ; impia quum se
Obiectat scelerum facies, quæ plurima nostrum
Exuperant caput, atque, graui ceù mole per ima
Voluitur arua lapis, corpus feriúntque, trahúntque.
(Dira lues)liuor lacero languentis ab ore
Vlceris apparet, tetrum fouet vlcus odorem.
Talis me quum digna olim vindicta maneret.
Me miserum,me,inquam,miserum:qui infirma trahebam
Crura solo, curuusque omnes gradiebar in horas.
Ecce etenim combusta suis sunt viscera neruis,
Nilque mea sub carne vigens, vacuúmve dolore est.
At patiens, at tristis ego, & cui nulla refundunt
Verba sonum : trepidas tantùm mugitus ad auras
(Nam clausum mihi vocis iter) corde exilit imo.
Magne parens, animi cœlo scrutaris ab alto
Vota mei : nec te vlla latent suspiria, téque,
Qui mea corda ferit, poscit dolor. aspice, vires
Iam torpent, atráque iacent caligine vultus.
Hinc omnes longe a me auersi terga dedêre,
Eheu, cognatique simul, fidique sodales:
Nec crudis voluère oculos demittere plagis.


Sed qui me solum coniurauère periclis
Vincere, tendebant laqueos, animæque parabant.
Nec scelerum caruère doli suasoris, & alta
Mente resurgebant semper: at surdior illos
Præterij, fandique vias, & claustra repressi.
Qualis, qui nullos æditque, hauritque sonores,
Crimina veridico nec falsa redarguit ore:
Me fecit mea talem auris, mea lingua videri.
Namquè tibi, cui nostra salus innititur omnis,
Hæc Deus, effabar, téque in mea vota vocabam.
Ne lacrimas, luctúsque ferox (sine) rideat hostis:
Qui, si fortè mihi titubans inclinat humi pes,
Arguit, & casum pleno simul excipit ore.
Nempè ego diuersos casus, diuersaque flagra
Semper obi, semper fessos dolor vrget ocellos,
In fletúmque rapit. Vitæ scelus omne fatebor
Ipse meæ, meritásque luam pro crimine pœnas.
Intereà viuunt tamen, & maioribus hostes
Viribus inualuère feri, atque ingentia surgunt
Agmina, nec iustis odiorum exercita flammis
In mea damna ruunt, & tristibus optima pensant:
AEquaquè sectantem non æquo crimine lædunt.
Ergò, quum angustæ his nequeant obsistere vires,
Hinc Deus, hinc ne longè absis, præsensque periclis
Hûc te fer, nostræq; velis meminisse salutis.

PS. QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Iudica me Deus, & discerne causam meam &c.

Hæc

HAEc Pater omnipotens cape vota, meámque tuere
Causam (oro) vindex immani à gente receptam,
Intentúmque à me arce virum scelerique, dolisque.
Tu solus mihi das robur Deus. ecquid abire
Longè iubes? cur me vis mæsto incedere vultu
Hostiles perpessum iras? tua lumina pandes,
Luminibúsque comes veri simul ibit imago.
Ipsa viam ostendent, quæ me feret ardua montis
Culminibus, septisque tuis. Altaria visam
Sacra Dei, lætúsque, & lætis saltibus acer
Exiliam, vocem & ore Deum, fidibúsque canoris.
Causa igitur quæ tanta est, vt te vulnere diro
O anime exagitet? conturbatúmque reuellat?
Fide ingens, & crede Deo. nàm sæpiùs ipsi
Fabor adhûc, pulchras intexens carmine laudes:
Auxiliúmque mei vultus, mea numina dicam.



PSALMVS QVADRAGESIMVS-TERTIVS.

Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes &c.

QValis agros, celeri qualis nemora auia cursu
Ceruus obit, gelidásque vndas petit, horridus æstu
In medio, hostilique canum deiectus odore.
Talis viue tuos anima, ô Deus, expetit amnes
Vsta siti placidi vultus, pater. ô mihi quando
Ille Dei vultus? sese illa altaria pandent?

Mæstus ego haud vnquam carpendis ferrea rupi
Ora cibis. lacrimis oculos pascentibus ipse
Nocte, die immersus iaceo; turba impia quum me
Heus, rogat, afflictis vbi sunt tua numina rebus?
Hæc memorat, meliórque animus diffundit habenas
Lætitiæ, sperátque simul mox adfore tempus,
Quo patriæ sedes, & sacri limina templi,
Lætus ego, atque piis cinctus dux vndique turmis
(Scilicet hæ iungéntque choros, & carmina dicent)
Inuisam. latè resonabunt omnia plausu.
Cur igitur, cur ipsa adeò me conficis ægra
O anima? & trepido vellis mea corda tumultu?
Pone metum, atque istis dubium nunc exime dictis.
Illi victor ego ingentes per carmina ducam
Ore sonos, placatúmque in mea vota reflectam.
Hæc solet interdum mæstas in pectore curas
Demulcere fides: licet altis obrutus errem
Iordanis fluuii syluis, licet Hermōnis exul
Saxa per incedam, solis saxa hospita brutis.
Quum tua vox vocem trudit, dolor ecce dolori
It comes, inque meum sæui caput igne fragores
Irato tibi, Magne, cadunt. me fluctibus ipse
Obruis, & rauca ipse feris crepitante procella.
At si me vultu tandem respexeris æquo,
Protinus ex oculis obducta nubila cedent
Tristitiæ, tenebrásque adiget lux aurea cæli.
Me tamen intereà solitas tibi dicere laudes
Non curæ impedient, noctis non vmbra silentis.
O latebræ (dicam) ô rupes mea, quò tibi nostri
Cessit amor? cur me lacrimis, luctúque, querelisque

Excrucio

Excrucio infælix, hostis dum oppugnat iniquus.
Rumpitur heu gladio pectus mihi: ridet amaris
Dum me turba iocis: quotiens sol lumina terris
Ostendit, scitatur vbi mea numina degant?
Cur tu te ipsa iacis venia spe tristis adempta
O mens? & varijs animum terroribus imples?
Quin potius confide Deo, quo vindice tandem
Liber ero, & gratæ persoluam præmia laudis.



PSALMVS QVADRAGESIMVS-QVINTVS.

Eructauit cor meum verbum bonum. &c.

CArminibus, cœptisque nouis it pectore toto
Numen, iam cuius vires afflantis, & aura
Ore meo exuperant: celeres fugit ocior ipsas
Scribentis mea lingua manus. decora alta, tuúmque
Rex opus; insignis fecit quem forma videri
Mortales anteire viros, quique aureus ambit
Ora lepor, dulcem verbis inspersit honorem.
AEternum decus, & patris inuiolabile munus.
Armipotens hûc tende heros, accinge superbum
Ense latus nitido, & fibulis religatus, & ostro.
Gloria te, splendórque tuus comitentur. At Aequum
Et Verum, rapidique comes Clementia currus,
Moliri celsas manibus videantur habenas.
Hinc magnam exertans dextram, miranda per orbem

Facta ades, telisque sinum complebis acutis:
(Heù timor, heù populis terror, sisténtque, cadéntque)
Cordis ad ima feros telis iaculaberis hostes.
Nec solij iam finis erit, nec terminus æui.
Tu si quidem recti sceptrum geris: omnia sceptro
Imperij quo iura manent. Te linquit, & horret
Impietas, molli probitas te lumine spectat.
Nam socios Deus antè tuos tibi gratior omnes,
Lætitiæ sacro vultum perfudit oliuo.
Et iam non vno perfusas vnguine vestes,
Myrrhæq́ꝫ, stattæq́ꝫ, & suauè liquentis amomi
Indutus, foribus venies, quas vndique clarum
Pingit ebur: populúsque tibi gratabitur omnis.
Imperio sese magnis è regibus ortæ
Subiecère tuo, famulantiáque agmina iungunt.
At coniux tales inter nitidissima cœtus
Iuncta tibi dextro lateri stetit: aurea cuius
Vestis ophiræis Arabum demittitur oris.
Tu mihi nunc aures adhibe, & rem perspice Virgo,
Et cape, quæ moneo. Patris obliuiscere sedes
Antiquas, populúmque tuum. Te regis in vna
Fixus amor: sedet hic oculis, sedet ore decoro.
Tu verò supplex dominum venerabere Regem.
En magni illa Tyros regnatrix æquoris, illa
Diues opum, tibi dona feret. te puluere ab imo
Plebis, auúmque humiles, sed clari diuite gaza
Suspicient, aurúmque dabunt. Aegyptia magnis
Orta atauis Regina, domi in penetralibus altis
Totas pandit opes, & vestes induit auro.
Ipsa ingens tunicis, mira quas pinxerat arte,

Duce-

Ducetur. Venit eccè suo pulcherrima Regi,
Quam iuuenes, quam mille chori comitantur euntem
Virginei. resonat lætis applausibus æther.
Postibus auratis illos, & limine primo
Accipiet Rex, & fulgenti sistet in aula.
Hac ipse haud patribus capiet de coniuge natos
Dissimiles, sed qui patrium facta inclyta facti
Aequent, & magnum referant qui nomen auorum.
Hos tu læta oculis nimiùm Regina videbis
Mittere mansuetis totum sub legibus orbem.
Intereà nostro semper celebrabere cantu
O Rex, atquè tuum populis per sæcula nomen
Omnia, perpetuóque recens memorabitur æuo.



PSALMVS QVINQVAGESIMVS-PRIMVS.

Miserere mei Deus secundum magnam &c.

TErrarum, latique potens maris, arbiter oræ
Aethereæ (tot enim cælo miseratus ab alto
Mortales patrio vultu aspicis) heù miser, eheù,
Seruer ego, atquè (Deus) veniam tibi consequar vni.
Tu culpas tege nocte meas, aut obrue largo
Flumine, daquè meos vndis emergere vultus
Iam nitidos, iam labe exutos, cernere semper
Multiplicem quam in me ipse fero, dùm turbida mæstis
Luminibus scelerum pœnas obiectat imago.

Te mea lis vnum poscit, mea crimina coràm
Facta tibi: veras quandò sub pectore leges
Fixisti, quas si solio dicturus in alto
Consideas, solio ipse domos detrudar ad imas.
Ecce etenim cunctarum excepi semina labum
(Tunc neque eram) quùm me genitrix mea sanguine primùm
Conciperet patrio, calidósque foueret in artus.
At tibi grata fuit, nostro quæ in corde manebat,
Simplicitas: qua tu magno me nomine vatis
Ornasti, secreta tui qua pectoris hausi.
Me Deus hyssopi canenti fronde piabis,
Me nitidis lustrabis aquis: & sorde relicta
Purus ero, pulchráque niues albedine vincam.
Tu mihi lætitiam pleno, fac, nuntius alter
Ore ferat: placidáque exultent ossa quiete,
Ossa tua contrita manu. tege lumina (quæso)
Peccatis, & cuncta pater mea crimina dele.
Summe opifex rerum; neque enim, cor, nescius, auro
Finge nouo. Recti illa meos lux tendat in artus
Irradians. nè me alme tuo pater eijce vultu:
Afflatúsque meo sanctos (tua maxima dona)
Iratus ne cordi aufer. Quin læta salutis
Nunc reddas monimenta. ô me quoque libera rursum
Confirmet vis, atquè aurai principis ardor.
Ipse tuùm quo fretus iter scelerata docebo
Agmina: & illa tibi mentes conuersa reducent.
Magne Deus, Deus, à culpa qui me asseris omni,
Sanguineos cernens obitus, indignáque cælo
Funera, ne misero pœnam meditere vicissim.
At tu me pro pœna altos conuertis ad vsus:

Lingua

Lingua sonat, plectrúmque tibi bonitatis honores.
Labra igitur mihi, Sancte, aperi; vt tibi profluat ore
Laus celebrata meo. Positas en despicis aras,
Torrentésque sacro igne dapes. non parcior essem
Muneribus, nec rara tuis foret hostia templis.
Nunc igitur diuersa fero, melioráque longè
Sacra tibi: pauidum, consternatúmque dolore
Cor sacro, atque humiles animos. Tu ferre roganti
Promptus opem, nostrum (quæso) ne despice vulnus.
Tu quoquè, mansuris sacram quùm mœnibus vrbem
Accingent, nutu faueas Siônis amico.
Tunc tibi sacra Deo solennia ferre iuuabit.
Vina tibi, & calido spumantia vasa cruore
Fundemus, vitulósque tuis mactabimus aris.



PSALMVS SEXAGESIMVS-SEPTIMVS.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis &c.

SAncte parens, veniam scelerum te poscimus omnes:
Tu veniam concede libens, & munere largam
Pande manum, nitidóque bonus nos adspice vultu.
Gentibus vt tandem cunctis via nota salutis
Sit nostræ, & terras ingens se fundat in omnes,
Vt populi (Rex magne) tuos fateantur honores,

Atque tuos omnes læti meditentur honores,
Cum plausu & choreis, & cum vario modulatu.
Namquè illis tu das æqui, tu iuris habenas
Inijcis, auersósque regis per deuia gressus.
Vt populi (pater alme) tuos fateantur honores,
Atquè tuos læti magnos meditentur honores.
Ipsa diù sterilis, iam culta nitescere tellus
Incipit, & longis segetum flauescit aristis:
Nec poma arboribus desunt, nec vitibus vuæ.
Quas nobis cæli ex alta Deus appluit arce
Diuitias, Deus ille bonus, Deus ille meorum:
Quem gemini æternùm vereantur cardinis axes.



PSALMVS SEXAGESIMVS-OCTAVVS.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici &c.

SVrge Deus, tequè his medium poscentibus offer
Hostibus, vt subita venientis imagine visa
Ignotis fessi spargant vestigia terris.
Nam ceù commixstus tenues vapor ater in auras
Euolat, & paruis ceræ fluit ignibus humor:
Sic vultu tremefacta tuo ruit impia longè
Turba, tui vultus radiorum ardore corusci
Impatiens, totósque metu dissoluitur artus.
At iusti ingentes te coràm dicere laudes
Aggressi, toto curas de corde fugabunt,

Lætitia

Lætitia veniente Dei. Vos carmina magno
Ferte Deo, noménque suum celebrate fauentes,
Aeternum nomen, quo cæli inuectus opaca
Nube sedet, quo iam terras, & despicit æquor
Cuncta regens. illi festos indicite plausus.
Hic natos infælices, & patribus orbos
Ipse pater molli cura fouet. ipse mariti
Extincti lacrimas, viduarúmque ora tuetur.
Antè domos complet vacuas, mæstúmque cubile
Nuptarum, læta sobolis iam partibus ornat.
Compedibus vinctos, & duro carcere soluit:
Aridáque arua iubet populos habitare rebelles.
Quùm Deus electæ gentis antè agmina ductor
Ibas, horrentes saltus, desertáque riuis
Saxa tenens, magno tellus commota tumultu
Te gradiente fuit subitò: cælique per oras
Ingentes gelido manauit vertice sudor:
Et Sinai mons ille tremit, qui culmine celso
Tela, Deiq; manus, & flammea lumina vidit:
Isacidas quibus ipse atris comitatus in vmbris.
Ipse tuos pluuiam cælo descendere in agros
Sponte iubes, nullóque hominum cogente labore
Afflictam recreas tellurem: atquè hæc loca fessi
Isacides coluère tui. tu scilicèt illa
Donasti misero, & rerum mortalium egenti.
Carmine tu patrio lætos celebrare triumphos
Agminibus passim eiectis, talique puellas
Fecisti os implere sono. Cessère Tyranni,
Indomitæ cessere acies, tectísque domorum
Assuetæ, magna prædas nunc voce reportant.

Vos quamuis inter nigros fuligine postes,
Lebetúmque inter sordes, cinerémque perustum
Corpora sternatis somno: tamen illa nitentem,
Argentóque micantem alas, & pectora fuluo
Tectam auro, pulchra vincent in veste columbam.
Dispersas vt Regum acies, fusósque maniplos
Omnipotens spectare dedit, statim, obruta terra
Nubibus, en iterûm candenti lumine fulsit:
Salmonis ceù summa nitent iuga cana pruinis.
Hic pulcher mons eccè Dei. ne pinguia tantùm
Pascua, nec cælo teneant te proxima Basan
Culmina: vósque alÿ fastus deponite montes
Cornibus infractis, & verticibus præruptis.
Namq; hominum Rex omnipotens hunc montibus vnum
Præposuit, cunctósque habitandum legit in annos
Ipse sibi, quem tot currus, tot millia diuûm
Vndique circumstant: quibus ille aut atria vectus
Sacra loci, Sinævè ingentes despicit arces:
Aut sublime petens, cæli super aurea tendit
Sydera, captiuósque duces, atquè agmina bello
Secum victa trahit, donísque ingentibus orbem
Hostibus ereptis cumulat. Iam auersa virorum
Turba, Dei manibus supplex venerabitur aras.
Munere quo læti semper celebramus honores
Voce tuos, qui tot rerum fælicia nobis
Tempora perpetuo iubeas decurrere lapsu.
Te ferimus nostræ custósque membrique salutis.
Tu vitæ regis occasus, tu limina lethi
Obseruas immota: tuíque in nominis hostes
Fronte sub aduersa telum configis: & ille

Crinis

Crinis apex scelerum decisus vertice fluxit.
Talia sed nobis placido Deus edidit ore.
Vt quondam è Basan, medióque è gurgite ponti
Eduxi vos ipse libens: sic agmina seruem
Vestra modò, & trepidis dem inimico sanguine tinctos
Ferre pedes, canibúsque ferum vomere ore cruorem.
Tempore quo clarus, magnóque sub agmine victor
Isacidis spectandus eras, gressúsque ferebas
Antè tuos, Deus ipse, tui Rex maxime templi.
Hic primi iunxêre manus, qui carmine pleni
Ora ibant sacro iuuenes: hinc proximus ordo
Aethera mulcebat sonitu, laudésque canebat
Ad numerum: mediæ tangebant æra puellæ,
Tympanáque: & tales mittebant gutture voces.
Conuentu populi in medio, stirps aurea Iacob,
Solennes domino, solennes dicite cantus.
Illic paruus erat, sed claro robore cinctus
Beniaminus, & ipse virûm dominatus in agmen
Aduersum: nec non Iudas ex omnibus ibat
Pictus acu tunicas, & lumine lætus honesto:
Tùm princeps Zabulo, tùm Nepthalis alta propago.
Hoc Deus omne tuum est. vires in bella dedisti
Ingentes, robúrque viris: tu numine firmes
Roboráque, virésque tuo. tibi sacra Tyranni
Templa petent, magnísque ornabunt atria donis.
Tu perdis ferro populos, & arundine fretos:
Tu validos in bella domas, opibúsque superbos
Deÿcis, affigísque solo. Tibi pondera quisque
Argenti vehet, & supplex ad limina tendet.
En media Aegypto proceres, & solis ab ora

Hûc ad te summis contendunt viribus ire,
Et geminas solio victori extendere palmas.
Nunc istum Regem terrarum dicite reges,
Et dominum celebrate, alti fastigia cæli
Qui tenet, haud vlla expertus primordia rerum.
En vocem Deus emittit, quam territus orbis
Accipiet, virtúsque dei circumdabit ingens.
Vos igitur cunctas numeris ascisscite vires,
Omne Deo robur: qui sæuo texit ab hoste
Isacidas, cuius semper colit æthera summum
Gloria, & excelsas immensa potentia nubes.
Te Deus arcani summis è sedibus antri
Terribilem ostendis. Hinc magno pectora firmas
Præsidio, & populi vires immittis in artus:
Qui tua perpetuo celebrabit munera cantu.



PSALMVS SEPTVAGESIMVS.

Deus in adiutorium meum intende &c.

Alme Deus, fer opem misero, méque vltima passum
Auxilio propiore iuua. Fac protinus hostes
Insanos titubare metu, qui cladibus orco
Obruere hanc animam certant: fac vertere victos
Terga procul, roseósque genas violare pudore.
Nec mora, dent iam terga fugæ, maculísque pudendis
Ora notent, qui eugè ingeminant mihi vocibus, eugè.
At penitus læti cuncti, queis cura recursat

Vna

Vna Dei, affusis testentur gaudia habenis:
Et cupiant efferre Deum, Dominúmque vocare
Aßiduò, vndè illis pendet spes certa salutis.
Hic miser, omnium egens rerum, & ceù casibus actus
Qui dolet, exclamo. fer opem, auxiliúmque roganti
Magne pater, meus ipse es tu, vindéxque malorum
Præstò ades. Haud vlla in miserum mora tardet euntem.




PSALMVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS.

In te Domine speraui, non confundar &c.

SPeraui, abieciique graues de pectore curas
In te, magne Deus. Nunquam confundar: at ipse
Iustitiæ me conde sinu tuæ, & eripe saui
Visu hostis, nec vota velis dispergere in auras.
Tu ceù inaccessi collis arx alta pateres,
Aëriæ aùt saxum rupis, mihi tuta dedisti
Aufugia, & proprias in sæua pericula sedes.
Hanc rupem, hanc celsis munitam in collibus arcem
Imploro nunc voce libens, nunc æthere toto
Auxilium quæro, ne me scelerata nocentum,
Spernentúmque tuas leges, fasq; omne ruentum
Corripiat manus, & violento turbine verset.
A te etenim auxilium semper (pater alme) poposci,
Et tibi mens primis cœpit confidere ab annis.

Ipse mihi, cæca penitùs dum matris in aluo
Claudebar, misero non certa alimenta negasti:
Et tua sub claras gelidum manus extulit auras.
Hinc magnæ tibi laudis honos, hinc aurea surgit
Materies: sed iam nostros non segnis abhorret
Aspectus turba insolitos, ceù dira malorum
Monstra sinu, variásque tegam sub pectore formas:
Quòd mihi stes animo custodia certa salutis.
At mea lingua tuos (liuor licèt improbus illos
Audiat) effuso meditetur carmine honores,
Hoc vati concede tuo; namquè ægra retardant
Membra senem, fugítque omnis de corpore virtus.
Tu modò ne miserum, nè despicè. Tempore in isto
Sermones multi iactant (mea probra) meáq;
Qui tendunt animæ casses, inière frequentes
Consilia. Et quisquam cælo spectabit ab alto
Hæc, aiunt? Vos ite illum comprendite, prensum
Ducite: non vinclis miserum Deus eximet vllus.
Ah Deus hinc ne longè absis, præsensq; periclis
Hùc te fer. stupeat confestim territus hostis
In cassum cecidisse dolos, flatúsque remittant
Obstantes, turpisque illis pudor obruat ora,
Perpetuæq; notæ signent. At te Deus vno
Fretus ero semper, maiores dicere laudes
Aggrediar, maius nostro tibi surget in ore
Iustitia, ac bonitatis opus, quod texere luces
Vix valeam totas, numerúmque æquare canendo.
Tu valido nostros incessus robore firmas:
Alma fides molles circùm prætendit amictus,
Quam memorare, supérque omnes iuuat addere laudes.

Tu iuuenem, tua qui toto facta inclyta mundo
Concineret, proprium ſacraſti numine vatem,
Quùm mihi vix prima tegeret lanugine malas
Parua ætas. iam canicies, rugæq́; ſequentes
Obducunt rigidi vultum ſenis. aſpice vatem,
Aſpice, ſuſtentáque tuum. victricia donec
Brachia, ſera hominum diſcat (me vate) minorum
Progenies, diſcat robur, ſanctúmque, fidémque
Seruatam, & longè famam ſuper aſtra volantem.
Quis tibi ſe terræ, quis cœli conferat heros?
Magne heros, qui me tàm ſæua incommoda paſſum,
Defunctúmque malis, & tartara ad ima repreſſum,
(Sic bone ſic viſum eſt tibi) tenuia vitæ
Fila legens iterùm, ſuperas educis in auras.
Nec ſatis, extinctos etiam mihi reddis honores
Accumulans, placidóque refers ſolatia vultu.
Aſt ego pro meritis, pro dulci munere vitæ
Has referam celebrans laudes, hæc nablia crebro
Pulſa ſono. veræ ſed enim pietatis honores
O Deus, ô, qui templa colis Solymeïa ſanctus,
Effingam cythara fretus, numeriſque canoris.
En noſtra exultant labris ferientibus ora,
(Dùm meditor) tibi, quæ ſtygio eſt erepta profundo,
En anima adplaudit. Quoſcúnque eduxerit ortus
Clara dies cœlo, magnum tibi lingua loquetur
Iuſtitiæ, ac bonitatis opus. quòd turpibus hoſtes
Inficiant vultus maculis, atquè ora pudore:
Et mea ab aſsiduis requieſcat vita periclis.



PSALMVS SEPTVAGESIMVS-SECVNDVS.

Deus iudicia tua da regi, & iustitiam &c.

REx supreme tui Regi tu iuris amorem
Inspira (& natos æquis virtutibus orna)
Excelsa de sede olim regnúmque virósque
Spectanti, iustis illos perferre docenti
Legibus, hos etiam cælo tutarier alto.
Iustitia, & pax tunc montes, collésque feraces
Implebunt regni sociæ, populique magistræ.
Ille inopes, inopum & natos è fæce reiectos
Plebis ad astra vehet, pedibus teret ille superbos.
Hinc amor, inde timor tibi seruiet; æthere namquè
Dum sol, & nitido fulgebit in æthere luna,
Te patrum series, te sera verebitur ætas.
Vt qui se terris æstu iam immittit hyulcis
Aërea de parte ruens gratissimus imber
Detonsos pratis fæni viridantis honores
Instaurat. sic ille aderit rex missus ab alto.
Quo sub Rege pius certè florebit, & vndans
Pax iterùm lætis ponet vestigia terris,
Hærebítque affixa diù, ni deserat illas
Luna priùs casura, suóque ex orbe refixa.
Oceano latè imperium distendet vtrique,
Limitibúsque soli longis Euphratis ab vndis.
Regis & ante pedes, desertam qui incolit oram

Pronus,

Pronus, adoranti similis cadet. huic simul hostes
Ora suas hostes referent lambentia plantas.
Huic Cilicum reges, & qui medio æquore terras
Exercent, vltrò portabunt munera læti.
Huic Arabes gemmas, & fortunata Canopi
Dona ferent, & odorati Saba thuris aceruos.
Deniquè Rex istum regem venerabitur omnis,
Et dominum agnoscens populus venerabitur omnis.
Ille autem quanquàm solio residebit in alto,
Non tamen exili missas de gutture voces
Despiciet, sed opis, sed heri melioris egenti
Sceptra volens, solióque manum protendet ab alto.
Fænore & oppressas animas exoluet iniquo,
Et pensi pariter, & rapti sanguinis vltor.
Sic bonus æternùm viuet. Ditissimus auro
Quíque illum donabit Arabs, & currere faustos
Imperijq́ sui, vitæq́ precabitur annos.
Tantus, quùm densæ segetes in montibus altis
Surgent, ventorum sonitus instabit aristis,
Fert Libanus quantos Euro impellente fragores.
Vtq́ herbæ virides per prata nitentia crescunt,
Sic per inexhaustas proles adoleuerit vrbes.
At verò nomen manet, æternúmque manebit
Ipsius, dùm lux miseris dabit aurea solem
Spectandum terris. hoc omnes rege beati
Semper erunt populi, semper Rex ipse vicissim
Dicetur populis, & erit quoquè maximus illis.
Nunc patri Isacidum dilectæ præmia laudis
Reddantur, qui tanta facit miracula solus:
Gloriáque æterno celebretur nominis æuo,

Gloria & ingentes in terris explicet alas.
Annue magne Deus nostris, precor, annue votis.



PSALMVS SEPTVAGESIMVS SEXTVS.

Notus est in Iudæa Deus, in Israel &c.

Cognouêre Deum soli Iudæa tenentes
Arua, Deiq; ferunt magnum, ac memorabile nomen
Isacides, qui templa illi speculantur, & aras
Monte super Solymo. hic tela micantia fregit,
Arcúsque, clypeósque, & prælia morte diremit.
Tu prædatores magnos, & montibus æquos
Maximus ipse domas: manibus data præda superbi
Corde fuêre tuis. illos ceù ferreus vrget
Somnus: inexciti dextras ac tela requirunt.
Nam simulàc magno tua vox emissa fragore
Increpuit, Deus Abramidum, sopor altus inertes
Fixit equos, currúsque solo depressit equorum.
Terribilis tu nempè. Quis & consistere vultus
Antè tuos valeat, magnus quùm exarserit ignis
Irarum. Te iudicium pandente sub auras
Intremuit sonitu, siluitque exterrita tellus.
Tunc Deus exurgens tete demittis ab auris
Aetherijs, sæuáque oppressos mole tyranni
Eripis obseruans inopes, animóque ferentes
Dura æquo. tot clara, hominum furor impius orbi

Ostendet

Ostendet facta, & cupidus celebrauerit orbis.
Tandem relliquias cædes, si prælia nobis
Parua referre hostis, belliqne nouare labores
Audeat, & tecum malit concurrere victus.
Vos igitur, quæcunque Deo tam densa corona
Cingit vtrúmque latus, sacrata resoluite vota:
Hic vester Deus est, huic ferte ingentia dona,
Terrarum reges qui sæuis territat armis,
Elatósque animi dominorum repprimit ausus.



PSALMVS NONAGESIMVS-SEPTIMVS.

Dominus regnauit, exultet terra &c.

IAm Deus humanis infert sceptra inclyta regnis,
Et sanctum gerit imperium: quo maxima Tellus
Gaudeat, ipsa simul cuncti seu paruit orbis
Legibus, aut in aquas medias abscissa refúgit.
Cuius in aspectu, cæli iam nubila circum
Densantur, trepidaque tegunt caligine terras:
Quem geminæ, aurata solij de parte tuentem
Omnia, circundant comites, quarum altera iustos
Læta tegit, sæuis hostes premit altera pœnis.
Antè Deum rapidis spatiantur motibus ignes,
Infensos quibus ille sibi nunc hauriet. At quæ
Fulgura in extentis mundi regionibus errant,
Terra videns, tremit horrisonis excita cauernis.

Non aliter, quàm se tera demitteret humor
Igne calens tenui, facies quum apparuit ingens
Terrarum domini, montes, atquè arcta catenis
Soluuntur claustra, & liquefactis molibus astant.
Ipsi quin etiam cæli, fulgentia tecta,
Iustitiam illius narrant, populósque per omnes
Gloria visa Dei magnis sese explicat alis:
Qui verò saxúmque tremunt, & sculptile lignum,
Et vanos picta capiunt in imagine fastus,
Plena pudore gerant, signísque rubentibus ora
Mutentur, nostrúmque omnes Dij numen adorent.
Audijt, & tanto fælix sub Rege futura
Vrbs Solymæ, lætis venientia voluit in annis,
Et chorus exiluit natarum è sanguine Iudæ.
Nam Deus ipse super spatiosa volumina terræ,
Atquè omnes suprà diuos tete altius effers.
Vos igitur, sancto regem telluris amore
Qui colitis, procul ex animis auertite vestris,
Et manibus prohibete malum. Namquè ille suorum
Custodit mentes placidas, quos eruet hostis
Faucibus, & magno reddet cum fænore plausus.
Non secus, ac fuerit piceis vbi conditus vmbris,
Sol iterùm mæstis aperit sua lumina terris:
Aut vbi parua seges lætis caput extulit aruis.
Quarè agite ô iusti superùm gaudete parenti,
Sanctáque perpetuis extollite nomina sæclis.



PSALMVS CENTESIMVS-TRIGESIMVS.

De

De profundis clamaui ad te Domine &c.

DVm rapidis voluor curarum fluctibus, ipse
Clamaui. longè nostras (pater optime) voces
Exaudi, attentæ pateant prece supplicis aures.
Si iustis homines (hominum scelera impia) pœnis
Vlcisci iubeas, quis non gladio impar, & iræ
Magne, tuæ? sed eat ferrum; namquè aurea mites
Circundat vultus bonitas, terrísque verendos
Sola facit: circumfusúmque ego lumen anhelo.
Diuinos mea anhelat, in vno spémque fidémque
Te ponens anima, & semper tua nescia falsi
Ora tenens, domini radios fulgentis anhelat.
Qualis qui excubijs totam circumijt vrbem
Nocte vigil, fessis somnum indulturus ocellis
Auroram cupit exortam, lucémque diei:
Talis me, maiórque tui tenet anxius ardor.
Ergò Iudææ latè gens incola terræ
Fide Deo, ipse bonus miseris, ipse omnia largus
Condonat peccata reis. Et te quoquè tantis
Criminibus (nè pone fidem) tergétque, luétque.



PSALMVS CENTESIMVS-
TRIGESIMVSOCTAVVS.

Iuxtà flumina Babylonis sedimus &c.

SEdimus heù quondàm gelidos Babylonis ad amnes
Effusis mæsti lacrymis, gratissima nobis

Quùm Sion, & patriæ subierunt mœnia terræ.
Nablia tunc salices ramo suspensa virenti
Aurea sustinuêre: tacebant hæc quoque nullo
Icta sono. sed enim genti gens inuida nostræ
Adueniens, nos quæ patrijs abduxerat oris
Crudelis, medio repetebat carmina fletu:
Carmina, quæ quondàm Solymæ dùm regna manerent,
Aedidimus læti domino. Vos talibus (inquit)
Imbuite ora modis, & dulcia tangite fila.
Nósne Dei cantus aliena dicere terra
Fas erit? aut nobis demens illuserit hostis?
Tete ego chara Sion memori sub mente recondam,
Dum memor ista soni fuerit manus. ô mihi lingua
Hæreat obsessi penitùs sub faucibus oris:
Si non tu diuûm, atque hominum gratissima sedes,
Vna meæ semper referes exordia laudis,
Quùm lætum aurato meditabor pectine carmen.
At tu, res hominum iusto qui lumine cernis
Rector, Idumæam (quæso) tibi subijce prolem
Mente recordanti tacitus: nam luce sub illa,
Qua Solymæ diris patuerunt hostibus arces,
Dixerat. Hanc igni vastate, hanc perdite ferro,
Deiectámque imis euellite sedibus vrbem.
Tu quoquè talis eris Babylon, te digna manebunt
Excidia. ô fælix in te qui funera ritu
Aediderit patrio, atquè vltrices verterit iras.
Fœlix ille etiam, qui dulci è pectore matrum
Corripiens teneros pueros, & membra puellas,
Ora sub aduerso sparget manantia saxo.

FINIS.

ALCON,
SEV,
DE NATALI IESV CHRISTI.

ECLOGA,

Ad illustrißimum Weickardum *Ab Aurſperg, olim ſcripta.*



SCIPII GENTILIS ALCON.

ET nos Alconis sacram referemus auenam,
Cælicolûm Regi quondàm quem mira canentem
Obstupuit cum matre senex, medióque sub antro
Aligeri fratres plausu excepêre sonoro:
Et vaga miratæ posuerunt murmura syluæ.
Tu modò, ni tanta rerum sub mole laboras,
Dùm magnis patriæ studijs incumbis, & omni
Carniolæ, veterúmque legis monimenta tuorum:
Si iuuat Illyricos indagine cingere saltus:
Et gelidum Pana, & graciles non spernis auenas,
Hûc ades, & pueri cæptum ne linque laborem.
En aderit tempus, meritos tibi texere honores
Quùm valeam! laudésque tuas ad sydera tollam!
O decus, ô, quem cura ingens præfecerit vrbi
Auspergi generose, tuæ. pro tempore parua
Nunc refero, & mitto (quamuis sint rustica) munus.
Stabant pastores Regi diuina canentes:
Sed voce, & calamis melior sic incipit Alcon,
Incipit. extremæ respondent omnia valles.
Inter saxa gelu, disiectísque horrida dumis,
Vicinísque feris sedes, in nocte latenti,
Nasceris ô diuine puer. te nulla fouebunt
Lintea, iam nullæ Tyrio te murice vestes

Intinctæ accipient: sed læuia culmina aristæ
Fulta latus vili tenerum dant ponere lecto.
(Heu pietas) bos in primis, & segnis asellus,
Et gestare onus, & collo suspendere aratrum
Assueti, dominum agnoscunt te, nudáque proni
Membra fouent calidam spirantes faucibus auram.
Concine nunc alios mea fistula, concine versus.
Nascenti puero vos ô canentia Nymphæ
Vellera ferte iugis, Milesia qualia semper
Dant nemora, & pulchro vestem contexite limbo.
Hic dux noster erit, nostris quem iam affore terris
Promissum, & magni licturum limina cæli,
Tot vatum simul ora canunt. Iesseïa diuûm
Progenies, latè sceptris iam proferet orbi
Imperium, legésque sacras, diuináque iura:
Et mixta insperget placatæ nubila fronti:
At cædem, horrorésque feros, & noxia belli
Semina iam pellet, fratrum iam magnus erymnem
Compescet, sontésque orco damnabit iniquo.
Siqua etiam antiquæ suberunt vestigia fraudis,
Proteret, & nostros lymphis lustrauerit artus.
Aurea diuinæ parcæ hoc sub Rege futura
Sæcla legunt. Pax alma nouis redimita coronis
Adueniet, lætúmque manu prætendet oliuum.
Bis grauidi colles vuis, bis messibus agri:
Bis etiam arboribus stabunt pendentia poma.
Huic & mella ferent pinus, & lilia vepres:
Lilia si vepres, quid non feret omnia tellus?
Pascite oues pueri, & syleris deponite robur,
Non malus in viridi se occultat gramine serpens.

Iam loca cuncta patent, ferus occidit, occidit anguis.
Hoc primùm dispersi albis cum matribus agni
Non metuent ullum dentem, incursúsque luporum
Custode, & teneras decerpent molliùs herbas.
Túne Dei mandata feres, túne impia Ditis
Inuades regna! & portæ pandentur ahenæ
Regi hominum, regi inuicto! tot monstra domabis,
Vt mortale genus misera contage solutum
Eripias tristi letho. Tu deinde triumphis
Ibis ouans, ibis spolijs indutus Auerni!
Quin etiam sacri pastoris imagine captus
Dicêris. latè pecudes in pascua duces,
Manè ubi crescentes gelidus ros sufficit herbas,
Et mollem violam, & narcyssum vertice amœno:
At sentes, imísque absunt eryngia spinis,
Et viuo tenuis saxo delabitur unda,
Qua pingui distenta ferant ipsæ ubera lacte.
Vesper ut è pastu reuocat, iam vesper olympo.
Ipse gregem ad stabulas, aùt in sua septa reduces.
O ego si ventura meis hæc sæcula in annis
Aspiciam! quùm tanta dabis spectacula terris.
Incipe parue puer solatia ferre parenti,
Os lætum, & pulchros oculos confingere risu.
Munera pastores calathis tibi agrestia plenis
Eccè ferunt, quæ ruris hyems iam sordida liquit,
Et viridis lauri baccas, ederæq; corymbos.
Floribus hæc alij post nos cunabula spargent.
At nos ô socij, quandò has inuisere sedes
Lætitia, plausúque Deûm per inane volantum
Tendimus admoniti, semper natalia magni

Dicemus, ſemper Regis cantabimus antrum.
Non ſolùm Arcadia ſe iactent optima nati
Fundere, & inciſos fagis modulamine amores
Alternare: canent illi, vincemus amores.
Nam quæ non referent lætos ad ſydera cantus
Culmina, quæ non arua, Deus, Deus ille, ſonabunt.
Talia per noctem vacuas cantabat ad auras
Fatidico plenus, diuino & numine paſtor
Euigilans. donec roſeo proceſſit ab ortu
Phœbus, & inſolito radiauit lumine cælum.

FINIS.

EIVS.





EIVSDEM, HYMNVS CHRISTO RESVRGENTI.



Axime Rex hominum, cui tot Iudæa labores
Terra dedit, tot sæua animis affixit iniquis
Supplicia, exitiumq́; tulit, tumuloq́; reuinxit:
Et sacram effigiem iam mæsto lumine solui
Crediderat. Quũ tu superas rediuiuus in auras
Ecce venis, magnúsque nouo cùm numine prodis.
Victor ades. Melior rerum tibi nascitur orbis
Conditio, melior cæli data copia diuis.
Ille iterum fulgere, caua & sub nube latentem
Indignos cernet solem discindere amictus
(Authori quæ tanta suo) iam nuncia cuius
Mira dabit terris, & claro præuius ortu
Lætitiæ in nostras diffundet lumina mentes.
Mane nouo, quùm rara ferunt se sidera cælo,
Vixque aurora suis nitidum caput exerit vndis,
Christe potens, sanctum properantes vngere corpus,
Templa petunt geminæ Mariæ. Quis marmore verso
Aligerum iuuenis candenti in veste recinctus
Obseruat, trepidásque deus monet? Ite sorores
Ite piæ, nec enim quem quæritis, amplius vrna
Hæc habet. & simul ossa rigor peruaserat ollis.
Ne vos ô dubitate, pios timor exuat artus.
Ite citæ ad socios. Proh cælo innititur alto

Sancta fides: primæq; audent mysteria Diuæ
Credere tanta, loquiq; palàm. stupet inscia Turba
Iam metuens & tristis adhuc, atque abdita tectis
Ignotis. qui illos luctus, quæ dira tenebat
Mæstities, quantos rumpebant pectore questus,
Vt caeso Pastore greges. iam iam omnia vobis
Lætitiam, plausúsque ferent, vos carmina Regis
Sacra manent. MORS *victa tibi, manibusq; superbis*
Non homines, sanctos homines non horrida vincet.
Vt nostros olim tam turpi funere sensus
Abstulit, imbellésque oppressit pondere dextras
Ipsa facem, ac saeui protendens pectoris vngues,
Queis dominum cecidisse rata est. Furit impia cælo
Arma ferens, magnique irridet numinis iras
Infælix tellus. TV *obsessos milite lucos*
Irrumpis, frangisque altos custodibus enses
Nomine te dicens, & scuta ingentia cernis
Ad terram cadere, effuso que horrere maniplos.
Tu Regem insanum spernis, tu numine terres
Pontificem, diuina illos arcana latere
Sæpè doces, vimq; ipse virûm indignaris iniquam.
Te non probra tamen, nec verbera saeua, nec vllum
Tormenti genus humanis auertere curis
Intrepidum possunt. ferro dumisque rigentem
Aspice, fœdataque impexam fronte coronam.
Aspice & ingentes procero stipite palmas
Ferre humeris, ipsúmque onus inclinare retentum,
Inualidúmque solo niti, & se sistere monti.
Tantùm nostra salus facili peruenit olympo.
Maxima laus isto contra de funere restat:

Cum primùm obscuro tollens caput exit ab antro,
Conficit & magnum rediens vlciscitur hostem:
Aureáque ostendit constanti insignia dextra.
Cúmque etiam curru sedeat sublimis ouanti
Mille trahet mors infrendens ex ære catenas,
Inuisos mæsto vultu comitata triumphos,
Et secum horrendi ducens tetra agmina Ditis:
Quam non his terris versari, & sumere vires
Antiquas rursum Victor sinet. Ibit in amnem
Sola suum, meritísque dolens luet omnia pœnis.
Nec non regna petet vacua, informésque lacunas
Eumenidum vis illa, atri quæ semina belli
Suscitat, inuisúmque genus furialibus odit
Dira malis. centum nodos, centum exuet angues.
At circùm antiqui Heroes, qui numine Vates
Fatidico ad seros portendunt cuncta nepotes,
Gaudia pòst, sacrósque Hymnos, & pectinis aurei
Concentus, crebris iterabunt vocibus vltrò,
VICIT iò mortem, vicit Cocitia regna.
Quantus in Aegyptum diuisas æquoris vndas
Moses agit, quantus Iessæo è semine Pastor
Golian sternit funda iaciente lapillos.
Tantus iò hic mortem, vicit Cocitia Regna.
Námque ipsum aspicient, (vates si vera locuti)
Indutos Orci referentem vestibus axes,
Seruantémque illis tutæ promissa salutis.
Scilicet id tempus veniet labentibus annis,
Cum tuba mugitu cælum complebit acuto,
Horrendósque caua manes tellure ciebit
Ad vitam, effigiémque hominum: non aurea, non ære

υπες

[illegible] sed [illegible] Dei clamantis in ore
[illegible], aeternum & nos verba vocantis in aeuum.
Nunc sat erit, siquod ipse tuo dilecto Parenti
Te reddas, patriaque feras victricibus armis,
Placatisque alta terras sub pace regentem
Praeficias. Mansura nouo sint saecula Mundo,
Et nos assiduis oneramus pectora votis.

FINIS.



IOEL PROPHETA

SIMONIS SIMONIDÆ,

AD

CLEMENTEM VIII PONTIFICEM MAXIMVM.



CRACOVIÆ,
In Archityp. Regia & Ecclesiastica Lazari,
Anno Dñi, 159[illegible]